



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. De vitio ebrietatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Leuit. 26,

annonæ & frumentorū, fames, incendia, morbi acuti, &c. Ideò dicitur: si non seruaueritis præcepta mea &c. hæc faciam vobis, visitabo vos velociter in egestate & ardore: frustra seretis sementē, qui ab hostib. deuorabitur: labor vester erit incassum, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. & infra: Cōfringam baculum panis vestri? panis dicitur baculus, quia sustentat vitam) vt decem mulieres in vno clibano pinsant panes, & reddent eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini. sic etiam Deut. 28. scribitur de plagis huiusmodi, & historia Num. 11. testatur quantopere displiceat Deo gula, quando filij Israël in deserto petierūt carnes non cōtenti de manna coelesti, quomodò puniti sunt dum adhuc carnes essent in dentibus eorum & moriebantur subito, &c.

CAPVT XIX.  
ARGVMENTA.

1. *De vitio ebrietatis.*
2. *Quæ mala sequantur ex ebrietate.*
3. *Quantū sit punita à Deo, & hodiè puniatur.*

1. **P**rimò ebrietas est non necessaria (cum *vnnotige*) (repletio potūs, per quam ratio deperditur, & est maximum peccatum, si fit cum proposito. Noë cum bibisset vinum, nudatus fuit: quod nō accidisset, si sobrius fuisset, Gen. 9. dicitur Eccl. 31. Vinū ad iocunditatē creatum est, & non ad ebrietatem; exultatio corporis & animæ, vinum moderatè sumptū: abundantia verò vini, iram & infirmitates multas generat. Ideò Apostolus 1. Timot. 3. prohibet eligi in Episcopum vinolentum, & Christus prohibet ebrietatem, inquit Lucæ 21. Videte ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, &c. Et propheta Esaias 5. clamat contra hoc vitium, inquit: **VAE** qui consurgitis manè ad ebrietatem  
sectan-

sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis: cithara & lyra & cæt. Opus autem Domini non respicitis, quare ad Romanos. 13. Apostolus inquit: Non in comessationibus & ebrietatibus, scilicet non licet nunc viuere post baptismum, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum, id est, imitamini Christi bonitatem, abstinentiam, sanctitatem, sobrietatem, patientiam, humilitatem, &c.

Secundò multifaria damna sequuntur ebrietatem Osee 4. Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor. id est, prudentiam & virilitatem. Sit quantumcunque sapiens vir, si inebriatus fuerit, ibi aufertur cor & ratio, & fatuo ac semiuiro similis efficitur: idè Salomon Prouerbior. 31. inquit: Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas: ne fortè bibant reges, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis: sed vbi hodiè maior est potatio ad equales haustus, nisi in aulis principum & potentum? ibi enim honor & strenuitas reputatur, fortiter posse bibere & cæt. Sed quam praua & infauista inde sequantur sæpè consilia & ausus temerarij, exitus probat, cuius rei verissimum habemus exemplum in rege Balthasaro Chaldæorum, de quo scriptura dicit Daniel, 5. quod fecit grande conuiuium, & iam temulentus præcipit afferri vasa aurea & argentea è templo, & ea vertit in vsum potationis, sed mox tristem illi exitum denunciabat manus scribentis in pariete: eadem enim nocte malè periit, & regnū eius diuisum fuit, & datum Medis & Persis, Hoc exemplum considerent principes & episcopi, qui quandò temulenti sunt, nobilibus suis donant bona Ecclesiæ, monasteriorum & alia. Sic Paulus maximè abhorret Episcopum ebriosum, & prohibet ne ad episcopatum admittantur, qui tali vitio temulentia laborant. Scriptura dicit Ezechiel, 44. Vinum nō bibit omnis sacerdos, quādò ingres-